

# Meditatio de usu, quem praestat Christianismus in promovenda eruditione

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - (1747)

Heft 7

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394607>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(\*) Meditatio de Ufu,  
quem præstat Christianismus in pro-  
movenda Eruditione.

SÆpius jam de hoc argumento cogitavi, præsertim cum sciam multos esse, qui plane sibi persuaserint, solidam cum vero Christianismo Eruditionem consistere vix posse. Jam dignitate thematis permotus cogitata in chartas conjecturus, quis sit vere *Eruditus*, quisque *Christianus* hoc nomine dignus, ante omnia dispiciendum videtur.

§. I.

ERUDITI, ut paucis omnia complectar, ille nobis nomen jure sibi solus vindicare posse videtur: *qui præcipuam in excolendis ingenii facultatibus ad agnoscendum & sequendum Verum operam sapienter ponit.* Qua in Definitione tria continentur. 1.) ut sinceræ Veritatis sit studiosus, nullisque nec laboribus nec vigiliis parcat ad eam conquiendam. 2.) ut ordinem in studiis suis eum observet, quem consideratio & finis ultimi & mediorum postulat, scilicet ut gravitatis, necessitatis & usus variarum doctrinarum, tum generatim, tum pro suo peculiari

A a 3

culiari

(\*) Hæc Meditatio auctorem habet præstantissimum ac Reverendum Virum, DILTHEIUM, Anhalt. Coeth. qui longo jam tempore hic apud nos agit, omnibusque qui solidam eruditionem & vitæ probitatem amant, carus acceptusque est.

culiari statu & scopo, habeat rationem. 3.) ut quæcunque didicit in suum aliorumve emolumentum conferre studeat.

CHRISTIANUM vero non eum dicimus, qui natiuitate, confessione, ceremoniarum obseruatione, articuloꝝ quorundam & formularum amplexu, nomen hocce sibi arrogat: sed eum, qui ope Spiritus sancti ad fidem conuersus, deque excellentia doctrinæ Jesu convictus, eam toto corde amplectitur, Deum Salvatorem suum unice veneratur & amat & legibus ipsius toto animo per totam vitam obtemperat. Ex collatione harum definitionum quæ dicemus patebunt.

§. II.

*Primus* quem verus Christianismus eruditioni præstat usus est; quod *animum sedet & affectus componat*: quod quam sit erudito necessarium vel obiter attendentem non fugiet: quomodo enim præiudicia profligare poterit, qui totus affectibus deditus est? qui fieri potest, ut sedulo & omnibus mentis nervis, omni animi contentione ad certum quid & ferium constanter attendat ille, quem suæ semper cupiditates vincunt, vanitates distrahunt, somnia occupant & cui voluptatibus fluctuanti vera quævis & solida, quamvis iucundissima, austera, difficilia, tristia videntur, quin sæpe vires intellectus perpetuis imaginationibus pariter ac corporis abusu debilitatæ sepeliuntur. Quanta jam Spiritui in corde operanti & Doctrinæ Jesu vive agnitæ ad compescendas istas & disjiciendas nubes veritati aditum præcludentes, vis sit, vel sola Ideæ Christianismi supra datæ inspectio docet.

Tan-

Tantum non totam in eo versari Christi doctrinam dixerim, ut monstra illa partim extirpare, partim domare & rationi ac fidei subicere doceat. Non negaverim equidem etiam ignorata hac cœlesti doctrina in subigendis affectibus adeoque in sedando animo haud parum profici posse: nemo tamen qui præcellentiam inventorum in Doctrina Jesu revelatorum cum iis, quæ Philosophia unquam invenire potuit, comparaverit, & ipsius Numinis auxilium cogitaverit, de Christianismi hoc in negotio longe præstantiore ope dubitabit.

§. III.

Porro in eo se veri Christianismi in Eruditione usus exserit, *quod ad Doctrinas de Deo, de cultu ejus, de æterna felicitate, de officiis erga nos & proximum, Doctrinas certe præ omnibus præcipuas, rite intelligendas cumprimis faciat.* Communis Christianis revelationis amor ad iterum iterumque versandas sacras paginas eo magis impellet, quo sæpius legerint: & propria experientia juncta cœlesti lumine multa comprobabit & illustrabit. Quotidie ergo majorem, certiolem, clariorem excellentissimarum veritatum acquirunt cognitionem, & crescent ita in nobilissimis eruditionis veræ partibus. Melius etiam ad ea quæ accidunt quotidie attendent, quatenus præcipue ad providentiam aut regnum gratiæ singularem relationem habent.

§. IV.

Deinde *humilitas christiana non parum eruditionem promovebit.* Certe humillimi discipulus Soteris, & in meditatione veritatum cœlestium probe versatus non præclare de semetipso sentiet. Quo plu-

ribus ornatus est donis, quo insigniores progressus fecit, eo magis a superbia alienus erit, omnia illi tribuet qui animum & vires ipsi largitus est: sed & quotidie magis magisque de imperfectione sua & de scientiæ humanæ arctis limitibus convince- tur. Hinc nunquam immodice sua amabit, nunquam se infallibilem putabit, alios dissentire & lubenter feret, et si jure fieri viderit, sententiam mutare non ignominiosum reputabit. Multa se semper vel ignorare vel imperfecte satis nosse eo magis discet, quo majorem acquireret cognitio- nem, adeoque nunquam in via eruditionis subsi- stet, sed discet quotidie, & quo perfectior forsan Doctor erit, eo discendi cupidior se geret discipulum. Non spernet alios aut parcius a natura ornatos, aut minus eruditos: sed eo humiliorem ipsis se præstabit. Non cupidus erit magnopere, certe non impatiens, ut nomen suum in erudito- rum codices relatum legat: & per ora doctorum volitet, quæstionibus, bellis, scriptis non nisi li- teraturam ostentantibus, usum nullum præstanti- bus, tempus, ad graviora concessum, terere re- ligioni ducet. Dicam paucis ab omnibus istis im- munis erit vitiis, in quæ eos ruere videas, qui apud posteros vivere pluris ducunt, quam cæli- colis adscribi. Quæ omnia quam necessaria sint veri eruditi & adminicula & ornamenta, est in propatulo.

§. V.

*Quarto non spernendum in dirigendo ordine, selecta ac modo studiorum usum a vero Christianismo spe- rare potest Eruditus. Ille omnino hoc nomine in- dignus est, qui sine bene meditato fine, sine selec- tu,*

tu, sine ordine qualemcumque quarumcumque rerum notitiam acquirere allaborat: hoc potius est confundere mentem & destruere, quam excolere, & quid tandem ejusmodi scientia juvabit, quæ quidem ad titillationem & loquacitatem multum, nil vero ad bene beateque vivendum facit, & ubi ad examen revocaveris, tenues evanescit in auras. Quam difficile vero sit id, quod supra ab erudito postulavi, *sapienter* studiis incumbere, noverint ii qui quid verba dicant ponderaverint. Difficillimum vero hunc laborem facillimum reddit verus Christianismus. Sanctissima Redemptoris doctrina eum nobis proponit actionum omnium finem, quem agnoscere talem nec scrupulosissima nequit ratio: proponit vero ita ut non solum dignitas ejus vel primo intuitu nos moveat, sed & simul subordinationis finium intermediorum possibilitas & modus ex eo quam distinctissime dijudicari queat. Scilicet jubet nos hoc præcipue in tota vita agere, ut nos æternum beatos reddamus, seu quod idem est ad gloriam Numinis æternum de prædicandam præparemus, huc omnibus actionibus & cogitationibus tendere: deinde etiam ejus quæ in terris impetrari potest felicitatis, subordinate tamen & convenienter primo illi & præcipuo fini, curam gerere; ex quibus denique & illa officia quibus proximo obligati sumus efficiuntur, cujus ut æterna ita & temporalis salus non postremus laborum nostrorum esse debet scopus. Eo tandem fiet ut eruditus ordinem ac modum studiis suis eum semper ponat, quo tutissime & proxime ad fines prudenter ita statutos ire datur. Non videbis eum rebus nullius ponderis inhærentem & gravissimis futilia anteponentem: In omni studio-

rum genere quid utilitate & necessitate præstans sit inquiret & eliget, eoque se & hominis & sapientis titulo dignum & societati utilem reddet.

§. VI.

*Quinto* & *mibi quem Christus discipulis suis commendat animus erudito maximopere convenit.* Semper erunt qui dissentient & cum quibus si voluerit habebit quod disputet. Non semel accidet, ut quæ ipsi evidentissime probata aut refutata apparent, aliis non itidem videantur: decebitne jam veri nominis eruditum mox effervesce, & quem non potest argumentis convincere, calumniis, clamoribus, accusationibus, hæretificiis, imo & verberibus ad Assensum fictitium cogere? Ad quæ quam proni multi fuerint & adhucdum sint, eheu quot exempla docuerunt! Et quæ mala hinc enata testantur historiæ! Abhorret ista eruditus Christianus, non indignatus errantibus, miseretur potius eorum, & corde amoris pleno amicis verbis, suavi vultu, in viam reducere conatur: qui agendi modus quantum illi præferendus, quamque rei literariæ utilis sit, demonstratione non eget.

§. VII.

*Sexto tandem* & *patientia christiana non raro opem ferre poterit erudito.* Plerumque, quæ temporum est malignitas! veri Eruditi injuriis multis, calumniis, nec nunquam persecutionibus obnoxii sunt insanæ plebis & doctorum plebejorum. Ferre enim horum ignorantia & præjudiciis tumida superbia non potest, eos a via communi avita deflectentes, gregem majorum, æqualium, Doctorum

etorum, civium relinquentes, auctoritatesque spernentes, consilia, dictamina propriæ conscientiae sequi. Mox in promptu sunt odiosissima ista indifferentistarum, hæreticorum &c. nomina: universus populus clamitat novam religionem, comqueritur spreta majorum oracula, & parum sæpe abest quin ad ignes innocentes heterodoxos damnet. Utinam pauciora tempora nostra exempla rei tam vesanæ exhiberent! sed eheu eruditum esse & subire stultorum & superstitiosorum odia, sannas & injurias idem fere est. Quid jam consulendum erudito? numne his animum frangi patietur, numne mœrore tam justo deplorans temporum malignitatem seipsum consumet? sed quid juvabunt ea? sequi cum Tillotsonio Jesum Christum omnino consultius erit, scriptisque etiam acerbissimis magnanimiter inscribere: *Pater ignosce, nesciunt quid faciant.*

T A N T U M .



JO.